

VI. Si certo constat peccatum mortale commissum esse et mere negative dubitatur num jam confessione expiatum sit, datur certa obligatio istud confitendi: lex enim moraliter certa manet. (S. Alph. n. 477)

291. V. In praxi plerumque valde suadenda est poenitentibus confessio mortalium tam negative quam positive dubiorum, cum id ordinarie prosit ad conscientiae tranquillitatem. Id praesertim valet de rudibus: quippe qui vix capaces sunt discernendi utrum peccatum grave an leve sit, etc. Juvat hos monere ut peccata dubie mortalia confiteantur, nulla tamen imposita stricta obligatione (quippe quae non exstet); neque aegre plerique obtemperabunt. Immo vera obligatio adstringet eos qui mortalia saepe committunt et parum curant, quia in dubio praesumendi sunt consensisse. Si enim obstitissent, utique recordarentur conatus illius quem sibi intulissent ad tentationem repellendam. (S. Alph. n. 476)

Ab accusatione peccatorum dubiorum facile abstinere possunt qui sunt timoratae conscientiae, nec solent mortaliter peccare. Hi enim in dubio rationabiliter, immo moraliter certe credere possunt se non consensisse, quia praesumptio sumitur ex ordinarie contingentibus. (Vol. I. n. 77, III) Serupulosi saepe avertendi sunt a confitendis peccatis dubiis. (Vol. I. n. 60)

VI. Si quis tamquam certum agnoscit peccatum mortale quod antea ut dubium confessus est, communis sententia tenet eum obligari ad illud ut certum accusandum. (S. Alph. n. 478) Ratio est: peccatum illud, licet directe fuerit absolutum, non fuisse tamen expositum ut erat in conscientia (quod a Trid. requiritur), neque explicatam fuisse substantiam peccati, quae consistit in ejus cognita gravitate, ideoque ad supplendam integritatem confessionis opus esse ut illud tamquam certum iterum accusetur. Probabilem tamen esse sententiam oppositam merito opinantur plures DD. praesertim recentiores. (Ball. P. n. 381; Gury, II. n. 480; Lehm. II. n. 318, etc.) Nam habetur omnimoda paritas cum casu, jam supra (n. 285) soluto, illius qui, accusatis ex. gr. decem peccatis circiter, postea recordetur se undecies peccasse. Istud enim undecimum peccatum jam nunc est in conscientia poenitentis ut certum, dum clavibus subjectum est ut dubium. Ergo, si in hoc casu excusatur poenitens ab iteranda confessione, excusandus est et in illo.

Communissime vero dicunt DD., juxta S. Alph. (n. 478), non esse obligationem iterum confitendi peccatum quod nec poenitens, nec confessarius sciebat esse mortale, quamquam postea prior illud esse mortale agnoscit. Exposuit enim peccatum suum uti in ipsius conscientia tunc erat et nunc est.

VII. Si quis ante communionem dubitat num in peccato mortali ver-setur, plerumque illud dubium tolli poterit praesumptionibus deductis ex habituali statu illius de quo agitur, ut supra (V) dictum est. Quodsi reapse manet fundatum dubium, non tenetur ad confessionem communioni praemittendam: nam hoc praeceptum adstringit tantum eum qui est sibi conscius mortalis peccati. Vehementer tamen ipsi suadendum est ut saltem actum contritionis elicere studeat, vel absolutionem sacramentalem recipiat, recito (si voluerit) hoc peccato, ne fructibus Eucharistiae careat. Immo censent multi hanc strictam esse obligationem, ne sacramentum temere periculo frustrati effectus exponatur. (Lehm. II. n. 150) Sed merito de illa obligatione dubitari censemus ex dictis n. 131.

Punctum III. De causis ab integritate excusantibus.

292. I. Ab integritate materiali excusat **p h y s i c a i m p o s s i b i l i t a s**, ut per se liquet. Quare excusantur:

1° *Muti* qui peccata sua integre per signa explicare nequeunt. Neque hi obligandi sunt ad peccata sua scribenda. Nam, etsi multi AA., quorum sententiam S. Alph. (n. 479) probabilior dicit, talem obligationem generatim vigere affirmant, sententia negans, omnium consensu, est probabilis. Ratio negantium valde solida est: scripturam ad confitendum esse medium extraordinarium et quod minus cohaereat cum jure poenitentis ad secretam confessionem. Nam scriptura est de se perpetua, ideoque ob casum quemdam, puta morbum confessarii, in cujuslibet manus venire potest. Neque apparet cur ad scribendum adigatur mutus, dum omnes ab hoc medio adhibendo excusant eum qui, ob labilem memoriam, peccata aliter recordari non posset. (Ball. P. n. 391) Attamen muti peccata sua gravia nutibus significare debent, quatenus id moraliter possibile est.

2° *Surdi* qui neque ex seipsis omnia explicare, neque confessarium interrogantem intellegere possunt. Quodsi alta voce interrogantem audire queant, regulariter ducendi sunt ad locum in quo, absque periculo revelationis, interrogari possint (S. Alph. H. A. tr. 16. n. 35): quod tamen omittere licet ob justam causam, puta quia id, pro regionis consuetudine, decenter fieri nequit, ex. gr. cum muliere, vel quia poenitens se valde invitum ostendit. Immo, juxta S. Alph. (n. 644), si confessarius surditatem tantum advertit in progressu confessionis, poenitens autem, post plures debitas interrogationes, non recte respondet, tunc non licet confessario alta voce imponere poenitenti ut redeat: quia sic daretur adstantibus occasio existimandi grave peccatum ab eo accusatum esse.

Id tamen non putaverim extendendum esse cum Lehm. (II. n. 328) ad casum quo statim (ut mos ubique in Belgio obtinet) poenitens ducatur ad sacristiam locumve remotiorem ecclesiae: nemo enim ex adstantibus inde aliud concluderet quam hunc esse surdum. Ceterum fatetur S. Alph. (l. c.) se talis casus solutionem apud AA. non reperisse: quod verisimile indicium est eos nullam sigilli violationem in tali praxi reperisse.

Igitur surdastri perinde ac surdi, si quavis de causa audiendi sunt in loco patente, tenentur tantum ad peccata sua, prout possunt, declaranda. Confessarius, omitta qualibet interrogatione, levem tantum poenitentiam imponat ubi periculum est ne gravior aliis innotescat.

3^o *Ignari idiomatis confessarii*, si alium linguae suae gnarum adire nequeunt, et peccata sua verbis vel signis confitentur prout possunt. Hi certe non tenentur confiteri per interpretem, cum hoc medium sit oneris et periculi plenum. In hunc sensum respondit S. Inq. 28 Febr. 1633 (Buccer. Ench. p. 160) subjiciens: "In casu quo quis conatur quantum potest exhibere signa peccatorum in specie, nequeant autem omnino intellegi, absolvi posse per solam manifestationem peccatorum in genere. Probabile est ad confessionem ita excipiendam sufficere ut diu alius linguae peritus afuturus sit: nam semper videtur permolestum saeculares praeparatos in iis adjunctis dimittere. Minorem ob causam licebit audire poenitentes quorum lingua, non autem dialectus cognoscatur, ita ut quaedam peccata, etiam explicatione petita, percipi nequeant. (La Croix, l. 6. p. 2. n. 1876 seqq.)

Opinatur S. Alph. (n. 479) moribundum qui de contritione sua dubitet, teneri ad confitendum, saltem unum veniale, per interpretem. Sed etiam haec obligatio non constat: nam nititur tantum opinione jam antiquata, quae nempe dubium habet valorem sacramenti etiam in mortis articulo, nisi aliquod peccatum speciale clavibus subjiciatur. (Ball. P. n. 393) Cfr. n. 262. (1)

293. II. Ab integritate materiali excusat quoque **impossibilitas moralis**. Haec obtinet (Bus. ap. S. Alph. n. 484):

1^o Si poenitens ex. gr. infirmus, uno alterove peccato dicto, deficiat, vel sit grave periculum ne deficiat.

2^o Si infirmus volens confiteri, dum ei fertur Viaticum, deprehendatur multas confessiones fecisse invalidas, et gravitas morbi non patiatum dilationem absolutionis. Idem dicendum si, ob aliam rationem, diu

(1) Hic quoque de absolutione moribundorum agendum esset. Sed ob rei momentum de ea separatim dicemus. (Puncto IV)

expectare non posset sacerdos qui Viaticum detulit, vel si e prolixitate confessionis gravis defatigatio infirmi timenda esset. (Ball. P. n. 420)

3^o Si sacerdos, in periculo constitutus, videatur ante moriturus quam poenitens absolvatur.

4^o Si, tempore morbi contagiosi, confessarius nequeat absque periculo, etiam a longe, audire integram infirmorum confessionem.

5^o Si immineat conflictus vel sit multitudo moribundorum, ex. gr. in naufragio, nec possint omnes audiri. In hoc casu possunt omnes, dato aliquo generico contritionis vel confessionis signo, absolvi forma plurali: *Ego vos absolvo*, etc. Requiritur multi ut saltem unum peccatum minus infamans dicant. Sed nulla solida ratione id nititur (n. 262); deinde, in casu praesente, otiosum foret. Nam si talis accusatio ab omnibus simul fieret, nihil perciperet sacerdos: quod autem non percipitur, perinde est ac si non diceretur.

294. III. Ab integritate materiali excusat quoque **probabilis timor damni** corporalis vel spiritualis, quod poenitenti, confessario vel cuilibet tertio immineat. Intellege incommodum quod sit extrinsecum vel, ut alii dicunt, extraordinarium. Nam incommodum per se conexum cum natura confessionis, ex. gr. confusio in revelandis peccatis, necessario subeundum est ex ipsa lege qua Christus confessionem praecepit. (Vol. I. n. 114) Habetur autem excusatio ob damnum extrinsecum:

1^o Si timetur odium confessarii, vel revelatio peccati ab eodem, invito poenitente, facienda. Hoc tamen non est extendendum ad timorem ne poenitens ipse a confessario jubeatur peccatum suum manifestare, puta ob damnum quod tertio imminet vitandum: hic enim timor esset damni quod necessario ex obligatione ipsius confitentis sequatur. (Lugo, disp. 16. n. 526)

2^o Si poenitens sciat, ex certi peccati accusatione vel ob diuturnum examen de peccatis carnalibus, sibi vel confessario esse periculum ruinae, puta turpis desiderii, sollicitationis ad turpia, etc.

3^o Si ex accusatione immineat poenitenti grave damnum vel periculum vitae vel famae, ex. gr. si confessio facienda esset in talibus adjunctis ut alii peccata audituri essent, vel si, urgente necessitate communicandi aut celebrandi, valde prolixa confessio instituenda esset. Sed liquet non dari excusationem quotienscumque confessio prolixa instituenda est: siquidem in ordinariis adjunctis nullum probabile periculum infamiae inde oritur, cum varias ob causas soleant quidam poenitentes longam moram apud confessarium trahere. (Ball. P. n. 427)

De his tamen casibus advertite:

a) Pericula talium damnorum non esse facile fingenda, praesertim quae nitantur confessarii infidelitate vel fragilitate. Hujusmodi enim

vitia supponere non licet, nisi experientia propria vel aliena docuerit confessarium uti scientia hausta e confessione in detrimentum poenitentis, vel ad turpia provocare.

b) Poenitentem teneri ad quaerendum, quantum commode potest, alium confessarium apud quem integre confiteri valeat. (Lugo, l. c. n. 527)

c) Ut quis possit ita confessionem non integram instituere, requiri aliquam confitendi necessitatem. Hanc tamen DD. benigne explicant. Nam, eorum iudicio, sufficit non tantum necessitas communionis vel celebrationis quae sine nota vel scandalo praetermitti nequeat, praeceptum communionis vel confessionis paschalis, etc., sed etiam incommodum permanendi per unum diem in statu peccati mortalis vel abstinendi a communione aut celebratione quam quis cotidie instituere soleat. Ita S. Alph. n. 490 de casu occultandi complicitis : quocum casus praesens aequiparandus est, teste Lugo. (l. c. n. 530)

d) In his casibus, poenitenti integrum est vel explicare peccatum, tacendo solum circumstantiam e qua imminet aliquod periculum, vel illud penitus omittere ; immo haec posterior ratio sola apta videtur ad secretum servandum, et importunas confessarii interrogationes vitandas. (Lugo, l. c. n. 528)

Certe ab integritate confessionis non excusat magnus concursus poenitentium. Nam damnata est ab Innoc. XI prop. 59^a : " Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus poenitentium, qualis v. gr. potest contingere in die magnae alicujus festivitatis vel indulgentiae. "

295. IV. Si quis nequit confiteri peccatum alicui confessario, nisi **cum gravi infamia complicitis sui**, tenetur adire alium confessarium cui complex non sit cognitus, quando commode id fieri potest : secus enim proximum sine justa causa infamaret.

Quodsi talem confessarium commode reperire nequit, practice potest peccatum hoc accusare vel reticere, cum utrumque habeat pro se opinionem probabilem. Plerique enim cum S. Th. (in 4. d. 16. q. 3. a. 2. ql. 5), Lugo (disp. 16. n. 394), etc. probabiliter opinantur requiri in hoc casu integram confessionem : quia Christus praecipiens universalem confessionem, eo ipso voluit ut hoc malum infamiae apud confessarium postponeretur integritati confessionis ; nec datur ratio ob quam ab integritate excuser ad salvandam complicitis famam, dum nullatenus me excusat infamia propria. Adde : probabiliter (Vol. I. n. 420) non peccare eum qui alterius delictum uni viro prudenti manifestet ad rationabile solatium : quae condiciones a fortiori in casu nostro reperiuntur. Si autem talis manifestatio licita est, fit eo ipso, ob legem integritatis,

obligatoria. Plures tamen graves AA., ut Valentia, Medina, Diana, quos refert Lugo (l. c. n. 393) et sequitur Ball. P. n. 443, tenent in hoc casu omittendam esse hujus peccati confessionem. Ratio est : praeceptum servandi famam proximi, utpote naturale, praefendum esse praecepto positivo integritatis confessionis ; cum praesertim hujus observatio non tollatur, sed solum differatur. Hinc in praxi datur libertas. Sed laici, hujus theoriae ignari, plerumque sine haesitatione peccatum proferunt ; si quando circumstantiam complicitis tacent, generatim mala fide agunt ideoque, ex erronea conscientia, sacrilege confitentur.

Qui cum priore sententia tenent peccatum, non obstante infamia complicitis, accusandum esse, enumerant causas plures ob quas excusetur poenitens a quaerendo confessario cui complex ignotus sit. (S. Alph. n. 490) Plerasque ex his causis admittunt fautores sententiae oppositae tamquam sufficientes ut liceat ad sacramentum accedere, non servata materiali integritate. (Ball. P. n. 445) Sunt autem eadem causae quae supra (III) enumeratae sunt ad excusandum ab eadem integritate in casu simili. Adde, ex S. Alph. (l. c.) : si quis difficulter alteri quam consueto confessario conscientiam aperiret, vel alium quaerere nollet propter consolationem quam sentit apud amicum vel doctum confessarium. Solutio, cum theoretica, tum practica, de peccato complicitis data procedit quoque de casu quo aliquis proprium peccatum confiteri nequeat sine alterius, qui complex non sit, diffamatione, ex. gr. si quis occidit sororem suam ex crimine gravidam. (Lugo, l. c. n. 419) Adverte cum eodem S. Alph. (l. c.), quamquam casus non est prorsus idem : saepe excusari matres et uxores manifestantes peccata filiorum et virorum confessario qui hos novit, quia id communiter faciunt ad consilium petendum vel dolorem leniendum, et nimis durum esset eas cogere ad alios confessarios adeundos. Conandum tamen est ut, quantum fieri potest, de alienis peccatis taceant et se solas accusent. (La Croix, l. 6. p. 2. n. 1145)

296. V. Excusatur ab integritate materiali sacerdos qui aliquod peccatum vel circumstantiam non possit confiteri **sine violatione sigilli**. (Bus. ap. S. Alph. n. 387)

VI. Qui peccatum aliquod reticuit ob quamlibet ex his causis excusantibus, tenetur idem accusare in sequenti confessione. (n. 283). Non adstringitur tamen ad confitendum quamprimum, cum desit lex id praecipiens. Sufficit ergo ut id fiat quando poenitens prima vice, vel ex obligatione, vel sponte, confitebitur. (Ball. P. n. 432)

Regulariter nullam confessionem interponere licet inter eam qua peccatum inculpabiliter omissum est, et eam qua accusatur : nam, e constanti interpretatione Ecclesiae, lex integritatis comprehendit omnia

peccata nondum per absolutionem judicialiter remissa, siquidem ipsa confessio praecipitur ad hanc absolutionem obtinendam. (Ball. P. n. 348) Excipe tamen si eadem rationes confitendi sine integritate materiali permanerent.

Dubium hic incidere posset de eo qui, apud extraordinarium confessarium, multa et gravia peccata confessus esset, quae diu apud ordinarium tacuisset. Si talis poenitens postea recordaretur peccati mortalis in hac confessione ex oblivione praetermissi, neque alium confessarium adire posset (ut facilius contingeret moniali), is per se certo teneretur ad hoc peccatum in prima confessione aperiendum. Quidam tamen (ut Kenrick, Theol. Mor. t. II. tr. 18. n. 57) putant licere quandoque ex gravissima causa hoc peccatum reticere ad tempus, donec occurrat occasio se sistendi eidem confessario. Neque ista exceptio ratione verisimili caret, cum repugnantia prorsus invincibilis, quae hic supponitur, contra confessarium ordinarium merito dicatur extrinseca legi confessionis (cfr. dicta in casu simili n. 193); minor autem causa sufficiat ad differendam confessionem peccati jam remissi quam adhuc remittendi. Ceterum casus iste vix ad praxim pertinet. Nam fere semper aderit hodie moralis possibilitas adeundi alium confessarium, etiam pro monialibus (n. 341): hoc autem faciendum foret, dilata etiam ordinaria confessione, ne temere praeceptum divinum integrae confessionis posthabeatur. Insuper si confessarius extraordinarius sedulo interrogabit poenitentem, vix ullum erit periculum ne is prorsus novum peccatum grave recorderetur: quare poenitenti, praesertim ad mentis perturbationem prono, significare licebit nullam ipsi esse obligationem loquendi de hac confessione cum alio confessario, si quando sibi videatur aliquid recordari quod omiserit.

297. VII. Absolutione donandus est poenitens qui peccatum grave inculpabiliter omissum confitetur: nam haec ipsa confessio facienda est non ut peccatum confessario innotescat, sed ut sacramentali absolutione remittatur. Igitur iteranda est absolutio quotiens poenitens, statim post absolutionem receptam, declarat peccatum grave quod oblitus est: nisi idem jam confuse in peccatis antea declaratis continebatur.

Aliqui AA. advertunt omitti posse hanc iteratam absolutionem, si poenitens ad eundem confessarium rediturus praevideatur, quia in sequenti confessione absolvi poterit. Sed cum possit confessarius sine ulla difficultate formulam absolutionis iterare, non apparet ratio cur poenitens cogatur ad eundem confessarium redire, vel apud alium idem peccatum fateri: quod ceteroquin, rei ignarus, non faciet. (Lehmk. II. n. 325)

Punctum IV. De absolutione moribundorum.

298. Prius regulas practicas de absolvendis moribundis trademus; deinde breviter explicabimus quomodo haec praxis in quibusdam casibus difficilioribus conciliari possit cum necessitate manifesta nunquam dandi absolutionem, quando certo desit aliquid essentialiter requisitum ad valorem sacramenti.

REGULA I. Non licet absolvere hominem certo *absolutionis incapacem*, utpote non baptizatum, jam mortuum, vel tam male dispositum ut certo careat attritione. Ratio patet: nam scienter invalide conferretur sacramentum. Huc spectat moribundus qui aliquam gravem obligationem sibi propositam adimplere recusat. Sic, ex resp. S. Inq. 27 Jul. 1892 (N. R. Th. t. 27. p. 128), non licet dare ultima sacramenta moribundis qui *moniti* nolunt retractare mandatum cadaver suum cremandi. Addit tamen S. Inq.: " Ut vero fiat aut omittatur monitio, serventur regulae a probatis AA. traditae, habita praesertim ratione scandali vitandi. „ Cfr. n. 359.

REGULA II. Reliquos homines *catholicos* licet absolvere, saltem condicionaliter. Id ex supra dictis (n. 266) manifestum est de moribundo qui sacerdoti praesenti dat signa poenitentiae, etiamsi nullum peccatum in specie confiteri possit. Constat quoque e Rituali Rom. (tit. III. c. 1. n. 24) de moribundo qui jacet sensibus destitutus " si confitendi desiderium, sive per se, sive per alios ostenderit. „ Quando autem nullus adest testis de signo poenitentiae ab aegrotante praestito, neque ullum percipi valet signum in moribundo qui jacet sensibus destitutus, certe probabilis est sententia quam S. Alph. (n. 482) sequitur et communiorem vocat: talem absolvi posse, dummodo christiane vixerit, immo etiam, juxta eundem S. Doctorem (n. 483), si sensibus destitutus fuerit in actu peccati, puta adulterii, duelli, quia merito praesumi potest quod ipse, in proximo periculo suae damnationis constitutus, cupiat omni modo suae aeternae saluti consulere. Quae ratio si admittitur, non apparet quare idem non sit dicendum de eo qui parum christiane vixerit, sed tamen in Ecclesia manserit (Lehmk. II. n. 514), vel etiam de eo qui, postquam sacerdotem repulerit, sensibus destitutus jaceat. (Genari, Cons. Mor. Cas. 58)

Haereticum moribundum absolvi posse condicionaliter, etiamsi det signa poenitentiae, negat S. Alph. (l. c.): quia prudenter praesumi nequit praebere ea signa in ordine ad confessionem, quam summopere horret. Sed plures (La Croix, l. 6. p. 2. n. 1866; D'Annib. III. n. 317)